

STEMMATOGRAPHIAE  
ILLYRICANAE  
LIBER PRIMVS.

Authore

EQUITE PAVLO RITTER,  
Sac. Cæs. Reg. Majestatis  
Confiliario.




Editio nova, priore correctior & auctior.

ZAGRABIAE,  
MDCCLII.

INCLYTIS  
 TOTIUS  
 CROATIÆ  
 STATIBUS  
 ET  
 ORDINIBUS,  
 PATRIÆ  
 PATRIBUS  
 CIVIBUSQUE,  
 PIIS,  
 FORTIBUS,  
 AMANTISSIMIS;

EQ. PAV. RITTER,  
Felicitatem.

 Nter alios, Viennæ anno proximè præterito, exantlatos labores, Armorum Illyricorum delineationē feci; eam descripsi, restitui: multorumque nobilissimæ curiositatis amantium desiderio satisfacturus, typis etiam publicam dedi; exterorum quoque applausu exceptam. Opus quamvis magno exemplariū  
num.

numero editum, amicè distractum, non paucioribus sui desiderium reliquit. Hinc, & vel maximè, quòd illustri Conspectui Vestro ( qui vetus Illyrici nomen & linguam in gremio illius intimo conservatis ) exhibendum erat, novo Typographiæ partu eniti debuit. Hoc ipsum Opus, has gentilitias Gloriosæ Nationis Tabulas VOBIS offero; Ipsas mei erga dulcem Patriam amoris testimoniū non ignobile, VESTRI amico intuitu & æstimatione dignissimas. Patriæ quippè splendor in iis enitet; quo Paræcus quisque generaliter illustratur. Ut enim præclaris Majorum gestis Generis nobilitatem nanciscimur: ita majori Patriæ felicitate clariores efficimur. Suscipite igitur gratiosa fronte huncce laborum meorum fructum usquedum sequuturi maturescant; quem & gratæ posteritati reservate; eo voto ac spe ut vel ipsa ( cum Mundo æternatura ) melioribus olim fatis beata redintegratam suis partibus Croatiam, vastū inquam Illyricum, Fide & Charitate sibi conjunctam, amplectatur. Valete. Græcomontij  
27. Apr. 1702.

# ILLYRICUM.



Candida, juncta Jovi, stat campo Luna rubente:  
 Fortunæ & fidei viva figura meæ.

Candidus est animus, genius quoq; grandibus aptus:  
 Sed varia summum stat mihi sorte bonum.


# IMPERIUM à NEMANIDE

*institutum.*



Ut Romanæ Aquilæ se Syrblica præferat olim:  
 Albentes plumas induit ista sibi.  
 Aurea sed tenero fatalia Lilia collo!  
 Magna potensq; olim Serbia, Serva modò est.

# ALBANIA.



Albæ Arces veteri tribuerunt nomina Regno :  
 Castriotes Regni post renovarat opes,  
 Exiguo sed Rex & Regnum perstitit ævo :  
 Albus nempè subit cuncta pericla color.

AUSTRIA *vetus.*



Fausto Coelipētæ numero recreantur Alaudæ,  
 Perpetui Veris commoda opesque canunt.  
 Imperium Terris felix tenet Austria primum:  
 Ad Coelum laudes terminat illa suas.



AUSTRIA *hodierna.*



Alba cruentatum præcingit fascia scutum :  
 Virtus atque fides talia signa dedit.  
 Hæc est Austriaco nova, dic, via lactea Cœlo :  
 Divisum Imperium cum Jove Cæsar habet.

## BESARABIA.



Æquivocum nomen dubios facit esse ; cuinam  
 Bessia, num Furiis sit vel amica Diis?  
 Tattaricus Furiis herus hanc, color ater & æquant ;  
 Candida num mens sit ; noverit ipse Deus.

# BOHEMIA.



Ipsa coronatum mihi fata dedere Leonem :  
 Stat ferus & rubeum candidus opplet agrum.  
 Bellaci genti cor est & forma Leonis :  
 Candor at in sacram stat sine labe Fidem.

# BORUSSIA.



Circinum in expansis alis, colloque Coronam,  
 Atra colore suo, regia gestit avis.  
 Scilicet hic stabilis color est : sic firma Corona;  
 Fine carens Regnum circulus ultrò notet.

# BOSNA.



*praesens (Wigand) de bovis / bos / bosna / bosna. n. 6.*

Nodosam rubeamque Crucem super aurea scuta  
 Fatorum quodam numine Bosna tuli.  
 Insita telluri est argenti copia & auri,  
 Sed populo gravium copia magna Crucum.

10

---

# BULGARIA.



Erigit in rubeo fulvus mihi se Leo campo:  
Errant Pictores, qui statuere nigrum.  
Et proprium servō Bulga de flumine nomen,  
Et pecudum in prædas ingeniola feror.

# CARINTHIA.



Candori Austriaco nigros junxisse Leones,  
 Hæc majestatis signa Carinthia habes.  
 Viribus ut Virtus conjuncta triumphat amicis:  
 Vincis in Austriaca cuncta, Carinthe, fide.

# CELTÆ.



Serpebat quondam gens Celtica more Draconum:  
 Ipsa alias gentes ore cruenta vorans.  
 Ut serpens, Draco sit, serpentem devorat antè:  
 Sic damno alterius Celta parabat opes.



# CARNIOLIA.



Crescentem Lunam Jovis ales ad æthera perfert :  
 Cœlicus hujc color est, candida at illa rubet,  
 Crescentis Populi, & Superos pietate colentis,  
 Carniolæ hæc Fatô Symbola facta putem.

# CRETA.



Centauros, magnique Jovis cunabula quondam  
 Fingebat terris Creta superba suis.  
 Centauris subjecta gemit, procul à Jove cedens,  
 Hostibus & sociis fabula vera modò.

## CROATIA.



Candidus & rubeus color hoc variatur in agro,  
 Invitans sortes ad mea fata vagas.  
 Scilicet hic jacitur dubii alea sæpè Gradivi;  
 Vulneror: at nullo vulnere candor abit.

CHULMIA.



Nuda gerit curvum pro stemmate dextera ferrum  
 Hinc Luna est fidei testis & inde Venus.  
 Martis amica Venus, Lunæ est mutabile numen:  
 Martia gens variis casibus inde subest.

## CUMANIA.



Gens inimica priùs , sub amicæ nomine ducta ,  
 Experta est Unnis qualis & antè fuit  
 Pilum non animum mutat lupus , atq; inimicus  
 Qui fuit , haud unquam verus amicus erit.

DACIA.



Scandebant quondam fulvi super alra Leones,  
 Cum proprios habui Dacia dives heros.  
 Quos mihi Romanus postquam, Scytha, Thraxq; to-  
 Nec Leo jam superest, nec diadema mihi. (tondit;

# DALMATIA.



Trima coronati mihi colla dedere Leones :  
 Cæruleo hæc scuto triquetra forma locat.  
 Perfectus numerus fert majestatis honores ;  
 Et Maris ac Cœli, maxima quæque, color.

## DARDANIA.



Hæc Phrygibus Regem tellus & nomina misit:  
 Progenitor Priami hinc Dardanus ortus erat.  
 In proprio nunc ipsa Solo jacet orba vetusto  
 Nomine; Dardaniæ tantæ ruina fuit.



## EPIRUS.




Epiri Regnum quandoque Molossia dictum,  
 Fœcundum Canibus nomen, & arma tulit.  
 Venatus Canis hic propriis sub Regibus olim,  
 Threiciæ Lunæ nunc latrat ante fores.

## GRÆCIA.



Cæruleo gaudet Sapientia celsa colore:  
 Aurum cui famulum, cui decus omne subest.  
 Graja Viris tellus quondam sapientibus uber,  
 Auro & consilio jam modo pauper eget.

# HERCEGOVINA.



Hoc fatale tibi fuerat , Chudvergia , Scutum :  
 Nudata geritur lancea fracta manu,  
 Isthæc primævi sunt inclyta signa valoris :  
 Fractis namque armis vis spoliata jacet.

## JAPODIA.



Maxima cœlesti Phaëtontis fabula casu  
 Japodibus pullam congrua & arma dedit.  
 Atra veste notant Phaëtontis iusta : galero  
 Solari frontem denique ab igne tegunt.

# ISTRIA.



Portubus & pratis & saltibus Istria dives,  
 Lactiferis tellus apta & amata Capris.  
 Dura licet villo neget uber pingue Capella:  
 Cornua prendenti lac dabit, atque cutem.

## LIBURNIA.



Celsa mihi est tellus, Aquilis auroque locuples:  
 Jusque dabam Adriacis regius Ales aquis.  
 Plura Liburnorum cùm quondam Regna fuere:  
 Nunc per se gaudet nomine quodque novo.

# LODOMERIA.



Flumina cœruleo variat Lodomeria in agro;  
 Lacteus est rubeo mixtus utrique color.  
 Hæc Belli Pacisque puta fatalia signa:  
 Pro Patria fit amor, pro Patriaque furor.

## MACEDONIA.



Aurea scuta mihi rubeo protecta Leone,  
 Ad regale olim signa fuere decus,  
 Privavit magnum diademate Turca Leonem:  
 Quo semel amisso totus abivit honor.



M O E S I A .



Moesia cœruleo diademata jactat in agro :  
 Auro olim semper panesque dives humus.  
 Hujus at est pridem subversa Corona decoris :  
 Ipsaque nunc panem seminat , alter edit.

## MOLDAVIA.



Daca suo sellus de flumine Moldava dicta:

A quo & deVectum monstri, habet arma, caput.  
Turpe caput fulvo jam factum nobile campo:

Quò magè res rara est, charior esse solet.

## MORAVIA.



Permultis ambita procis, variantibus ævis,  
 Tam Pace ac Bello sæpè petita fui.  
 Candidus hic color est Aquilæ rubeusque volanti,  
 Inter cœlipetas sed decor omnis Aves.

## MOSCOVIA.



Bicipiti aurato Jovis Alite Moskua gaudet  
 Hostibus & populis invigilando suis,  
 Vincens ferro hostes, populos & jure gubernans,  
 In populo obsequium Dux habet, hoste metum.

## PANNONIA.



Percurrunt rubem quatuor mihi flumina campum :  
 Lactea percurrunt flumina pingue solum.  
 Sæpè fuit campus mihi, flumina sæpè cruenta ;  
 Sic pro fertilibus Bella geruntur agris.

## POLONIA.




Montibus ex Slavnis ad Sarmata rura recepta  
 Albentes alas regia tollit avis.  
 Ingenio atque Fide generosa Polonia pollet:  
 Prospicit ampla Solum, concipit alta Polum.

## RAGUSA.



Altera in Adriacis Ragusa Urbs libera terris  
 Fundit per campum flumina trina rubrum.  
 Sed ne clara malo turbentur flumina ducta,  
 Mente novum quovis eligit illa Ducem.

## RAMA.



Dij mihi, non homines & nomen & arma dedere  
 Pro Patria, in Patriam bella cruenta tuli.  
 Scilicet hoc ipsum *Rama* nomen continet *arma*:  
 Hinc est, armatam vivere semper, opus.



## RASSIA.



Tres mihi cœruleo soleæ spectantur in agro:  
 Campum cursuro calceus aptus equo.  
 Campus adest: & equo soleas sua Rassia figit:  
 Ipsa alit atque tenet, confidet alter, equum,

## ROMANIA.



Fato & vi plures nova gestit Roma Coronas:  
 Romano regimen nomini in Orbe datum est.  
 Divisum Imperium, mutataque nomina Regum,  
 Quis, quàm Rerum Auctor, jam reparare potest

26 39 28  
RUSSIA Nigra.



Excelsas rupes fulvo scandente Leone  
Ornavit scutum Russia nigra suum.  
A teneris aptat duris se Russia rebus,  
Ut dura effringat, mollius aut toleret.

## SCYTHIA.



Atrum habet in niveo caput Urſi gens Scythia ſcuto  
 Hiſce ſoli genius convenit atque poli.  
 Immanes Scythicis generantur in alpibus Urſi:  
 Nec profert homines barbara terra probos.

SERBLIA.



Signa Crucem, calybesq; rubro fert Serblia campo  
 Pro Cruce non paucos Serblia passa focos.  
 Nunc Cruce prostrata, tamen ultrò sustinet ictus;  
 Hinc fato & facto Sevia dicta venit.

## SILESIA.



Albentem Lunam panſis Aquila elevat alis;  
 Pro genio ſcutum Slesia naſta ſuo eſt.  
 Erecta Solem ſpectet cùm fronte diurnum,  
 Aſtra tenebroſa cætera nocte legit.

## SIRMIUM.



Intra Danubium, Savumq; Bacuntius amnis  
 Humectat fluxu Sirmia rura suo.  
 Hic tuti vastis Cervi pascuntur in antris,  
 Martia nam timidus rura colonus arat.

SLAVONIA *Danubiana.*

Trinus in albenti currit mihi Vertegus agro,  
 Sincerorum audax fidaque turba Canum.  
 Audacis rubeus color est, albusq; fidelis;  
 Præda Canum Domino sic sine lite cadit.



SLAVONIA *Maris Balthici.*



Aureus in rubro volitat Draco Balticus' agro :  
 Exerit os, unguis, caudaq; & ala minas.  
 Terribilis quondam gens actis, nomine honora  
 Perdurat; quia per dura paratur, honor.

SLAVONIA *moderna.*

Mars mihi sydus adest: feraq; , inter flumina, M-  
 In medio scuto Martius estque color.  
 Scilicet hoc Regnum, geminus quod term. at amnis,  
 Mavorti factum læpiùs ara fuit.

## STIRIA.



Ore vomens Panther rapidos atq; auribus ignes,  
 In viridi luctam candidus ambit agro.  
 Sat bene componitur pro Bello Paceque corpus,  
 Quando animo est candor, viribus atque calor.

## THESSALIA.



Thessalidum abs culpa fixæ stupuere sagittæ:  
 Sanguine Romano cùm riguisset ager.  
 Romulidæ saturi peccant : gens subdita pœnas  
 Sustinet. In miseros concidit omne malum.

THRACIA *Odryfiorum.*

Ad varios casus gentis, regnique potentis,  
 In campo viridi stat nova Luna mihi.  
 Non durat viror, & Luna est variabile sydus;  
 Barbaricam in mitram regia laurus abit.

# THRACIA Romanorum.



Orbem fert dorso fulvus Leo; Principis hostes  
 Ut feriat, caudam dirigit atq; pedem.  
 Concidit hic Orbis Romano Principe rectus:  
 Romanumq; Orbem Thrax ferit ultrò Leo.

# TRANSYLVANIA.



Septem de Castris surgit Jovis inclytus Ales:  
 Solem & Lunam alis contegit ille suis.  
 Bellorum Pacisq; vices experta superstat,  
 Pane, auro, argento, melle, sale uber humus.

# TRIBALLIA.



Telluris genium præfert Aper atq; sagitta :  
 Sauciat immanis nam caput ista feræ.  
 Terra Triballa viros fortes parit atq; feroces:  
 Impar ingenium viribus esse solet.



TURCIA.



Stellas & duplicem sibi Turcia vendicat ensem.  
 Eois minitans Occiduisque plagis.  
 Hæc est Christicolo nunc maximus hostis in Orbe:  
 A Jove peccatis missa flagella puta.

## VALACHIA.



In niveo nigras Corvus campo explicat alas:  
 Ore Crucem, pedibus sed diadema premens.  
 Principibus prior est his vita Monastica Dacis:  
 Sed plures Monachis, Principibusq; cruces.

# VENETIA.



Aliger est Venetis Leo, Marci nobile signum,  
 Cœruleo in campo biblia sacra gerens.  
 Hæc terris progressa viget Respublica & alto:  
 Concordes Cives vivere lege juvat.

## UNGARIA.



Usa fui primùm Cruce simplice, post duplicata :  
 Christicolæ suasit sic pietatis amor.  
 Fata cruces, Hostesque, mihi post multiplicarunt :  
 Una salutis erat Crux : dolor in reliquis.

# DECLARATIO STEMMATUM PRÆMISSORUM.

**S**TEMMATUM sive Armorum, aut Insignium usus initium à Romulo sumpsit. Quidam ex Poëtarum inventis, alii ex Bibliorum historiis antiquius persuadent. Romulus pro signis militaribus manipulos sceni longæ hastæ infixos habuit. Pro his Aquilam postea, Lupum, Minotaurum, Aprum, in acie gestaverunt. Marius in secundo Consulatu Aquilam universæ legioni præfecit; cætera animantia cohortium signa fuere. Quinta Legio Cæsaris Elephantem in vexillo depictum ferebat: quòd, his animalibus in prælio cæsis, victoriam reportavit. Manus & pila inventa est ab Augusto: quæ Orbem Romano imperio subesse indicaret. Constantinus signum Crucis, quod in Cælo viderat, in militaria vexilla transtulit. Aquila tamen Imperii totius Insigne reservata, primò argentea & facello inclusa: post aurea facta, fulmen aureum pedibus tanquam Jovis armiger tulit; Postremò biceps: manente uno capite in Ecclesia Occidentali, sive Roma veteri, & altero in Orientali, etiam nova Roma: ab Imperio Caroli Magni. Animantia ferè omnia Principes in Insignibus referunt: Inanimata Imperium. Ex coloribus primarii decem habentur; cùm antiqui nobilissima quæq; opera quatuor duntaxat coloribus edidissent. Septem in Insignibus observantur.

*Aureus*, felix sæculum denotans.

*Albus* seu argenteus, animi candorem, puritatem, & fidem insinuans. Hi duo inter metalla potius quàm colores habentur,

*Rubeus*, magnanimitatem indicans.

*Ceruleus*, Sapientiæ, Justitiæ, claritatis famæq; Symbolum.

*Niger*, prudentiæ, stabilitatis, firmitatisq; signum.

*Viridis*, spem, robur & vigorem innuens.

*Purpureus* (ob purpuram quæ Principi est propria) vim & valorem Imperii significans. Qui ab Arte Heraldica sic notantur.

*Aureus.*

*Albus.*

*Ruber.*

*Ceruleus.*

*Niger.*

*Viridis.*   *Purpureus.*



Cæteri minùs observati, sunt; *Luteus*, qui lætum sæculum *Puniceus*, honorem & victoriam, *Ferrugineus*, roboris durtiem, portendunt.

Ab Armorum Signis, Insigniis principium fuit; inde namque & Arma dicuntur. Quæ à Ducibus & Principibus Regni quoque & Provinciæ obtinuerunt: eaque pro illorum libitu aut mutatione variabantur. Ipsorumque usus ad Famílias deinde pervenit.

ILLYRIDIS, cujus vetustum nomen tot Regnis & Provincijs Romana quondàm Monarchia præfecit, Insigne refert Lunæ Jovisque albarum in Campo rubeo stellarum conjunctio. in Symbolis Luna Populum significat: & Jupiter a Ætrophilis fortuna major vocatur. Cujus præcipuo sive (ut ajunt) diurno signo ipsa regio subjecta est. Hæc conjunctio, juxta Ptolemæum & alios, inclinatur ad religionem: datur optimam valetudinem, vitæq; diuturnitatem. His beneficis influentiis potiuntur Illyrides; erga DEUM pietate, Principum fide, amore proximum, erga omnes sinceritate laudabile

ling

ingeniosi, fani, proceri, fortes, honesti, & quorum multi decem, nonnulli duodecim, alii & plura vitæ lustra, hac etiam tempestate vidimus transigere.

IMPERIJ à Stephano, cognomento Nemanich, in Illyrico proprio instituti, est Aquila biceps alba in campo rubro; ad distinctionem Romanarum: videlicet Occidentalis nigrae in aureo, & Orientalis aureae in caeruleo, nec non Moscoviticæ item aureae in rubeo campis positarum. Stephanus namque Rassiæ condiderat Imperium, Orientale in eam translaturus; jamque constitutis Regibus, Rassiæ, Græciæ Bulgarique Imperatorem se nuncupabat, Ad utrumque latus Aquilæ sub expansis alis aureum lilium conspicietor, per affinitatem regii Galliaë sanguinis additum. Hæc Gentilitia Nemanidum Insignia fuerunt: postquam regio titulo, ad finem undecimi post Christum natum sæculi, ornati latè dominabantur; Leone albo, rubeis fasciis æquè distincto, posterioribus firmiter stante, & cruentum gladium anterioribus pedibus gerente, usi. Idem Stephanus in majori Sigillo totius Illyrici proprii exprimebat insignia: utpote Macedoniaë, Slavoniaë, Bosnaë, Bulgariaë, Dalmatiaë, Syrblæ, Croatiaë, Rassiæ, Ramaë; quibus intimam superponebat Aquilam; uti & mediæ supra scutum galeæ aureæ in regia corona stantem & Imperiali tectam. Ex anguli dextri coronata galea ipse coronatus, cataphracta inductus, purpureo ab humeris pallio dependente, Vexillum rubrum, alba Luna signatum, dextera per lanceam altè prendens, & sinistra manu clypeum, Illyrici Bosnaëq; stemmatibus insignitum gerens: ac è sinistra galeæ Corona gentilitius Leo, recta stantes, prominebant. Uros verò, sive Pyrrhus, Stephani filius, secundus & ultimus Imperator, prædictorum Regnorum Insignia separatis in scutis depicta, circa gentilitium stemma, justa serie disposita, unaque Imperiali Corona omnibus imposita præferebat.

ALBANIE typus est, alba in cœruleo campo fundoque viridi Arx, Albanum, sive Albanopolim, regionis olim caput referens. Albanie Epirique Regnum Georgius Castriotus (Scanderbeg à Turcis nuncupatus) restaurarat, circa A. C. 1440. Sed ipso (1464.) mortuo, Turcis in provinciam cessit. Arx in Symbolis tutelam & patrocinium significat; quod cum Castrioto amisisse perpetuis lacrymis Albani gemunt.

AUSTRIA quinque Alaudas aureas in cœruleo campo volitantes gestabat. Deinde Leopoldus Marchio, eo nomine, Quintus, à bello Prutenico reversus abolitis Alaudarum Insignibus nova usurpavit; ut Munsterus scripsit. Aut ut alii volunt, à rei eventu ab Imperio concessa; album videlicet tramitem, in rubeo campo. Quod in obsidione Ptolemaidis album corpus à cruore solo cingulo immune præservavit. Alber. Krantzius cruenti apud Sviceros (A 1386.) prælij memoriam hoc emblemate apud Austriæ Duces conservari existimavit. Alaudarum verò Insignia primævis Austriæ Marchionibus eo eventu accessisse, haud extra rem ajunt; quod eas ab Imperio Provincias accepissent, in quibus Decimæ Legionis Romanorum Alaudæ quondam stativa erant. Alaudæ fausto augurio habentur. Hæ, inter volucres omnes verno tempore solæ in sublime volantes, cantillare consuevere: quodque altius in aëra feruntur, eò suavius efformant melos. Augustorum Regionis Principum idea; qui singulari erga Deum pietate vernis semper felicitatibus beantur.

*Cantantes, à Laude ferunt que nomen, Alaudæ,  
Austriacæ decorant stemma Ducale Domus.  
Austria Cœlipetas clypeo depinxit Alaudas,  
Cœlum virtutis laude sed ipsa petit.*

Symbolum aliàs vetus Austriæ Archiducum faciunt omnes quinque Latinæ vocales, Quæ pro initialibus sumptæ plurimam



rimam Interpretibus materiam concedunt. At ego positis illis in Programma, A E I O V gemina educo Anagrammata ;

A JOVE;

IO AVE.

quibus religiosè subscribo;

*A Jove principium Regnis. Hoc Austria felix :*

*A Jove cui data sunt gaudia , Regna , Salus ,*

*Ter Felix io ave ; vastum da jura per Orbem ;*

*Pro Jove que regnas , cum Jove sine care.*

BESARABI communiter appellati ( olim Getæ ) *Bozji* rabi dici volunt ; quod Dei famulos significat ; illudque à Græcis , duriori pronuntiationi minùs affuetis, retortum esse arguunt ; per quod rabiei furiarumque aut etiam Dæmonis famuli Latinis dicerentur. Iis tria capita Æthiopica rubeis fascioli supra cervicem ligata scuto aureo, quibusdam albo, inseruerunt. Caput humanum prudentiam, synceritatemque denotat. E vultûs quippè lineamentis arcani hominum affectus indicantur. Ideò Seneca in Hercule Oeteo ;

- - - licet ipsa neges

*Vultus loquitur quodcunque tegis.*

BOHEMIÆ, Leo albus coronatus in rubeo campo (Munsterus rubrum in albo descripsit) ectypon est ; quod Regnum & Zodiaci Leoni subiectum ajunt ; qui naturæ suæ influentias genti notabiliter imprimit. In Symbolis Leo magnanimitatis fortitudinisque signum est ; atque tum ob easdem virtutes , cum ob generositatem , qua cum ignobilibus animantibus configere dedignatur , magnisque & fortibus se objicit. De quo Martialis ;

*Quid nunc se-va fugis placidi lepus ora Leonis ?*

*Frangere tam parvas non didicere minas,*

*Servantur magnis isti cervicibus ungues :*

*Nec gaudet tenui sanguine tanta sitis.*

Victisque ac subjectis parcunt : hinc Claudianus ;

*Prætereunt subjecta feri, torvique Leones,*

*Quæ stravisse valent, ea mox prostrata relinquunt,*

Albus color ( ut meminimus ) etiam fidem denotat ; in eo Regno fides Catholica unicè viget, nulla hæresi aut schismate contaminato. Czecho Bohemorum Conditori Aquila stirpis emblema fuit ; uti & Bohuslaus Balbinus refert ;

*Hæc Ales veteris Czebi Regumque priorum*

*Estque bifurcatus pro statione Leo.*

BORUSSIÆ, quæ Ducalis hætenus appellabatur, Aquila nigra rostro & pedibus aureis, circinum aureum in alis, & Coronam in collo, super albo campo expansa, ad novum Regiæ dignitatis honorem conservavit. Munsterus trifolium crocea, loco circini, ponit : additque literam S pectori Aquilæ. Aquila Regina volucrum, animamobilem & ad altiora genitum indicat. Corona, quæ honor eminentissimus & virtutis præmium est, cum magnis natalibus tum etiam grandibus meritis debita, inter alas collo infixæ, prominente rostrato capite, firmam tectamque eatenus in sublime ferri denotat ; Circinusque operis cujusvis complementum labore ac perseverantia perfici eundem innuit.

BOSNA, binis rubeis clavibus obliquam Crucem formantibus nigra coronata Æthiopularum capita complexas comas per aureum Scutum laxantia, imposuit. Alii Capita non coronant. plurimi absque comis ea depingunt ; ut virorum magis quàm mulierum esse videantur. Scutum aureum, auri argentique ferax solum, & felicitatis olim sæculi typum refert ; dum à Regibus Croatiæ per Banos sive Duces ( inter quos Culjen Augusti locum promeruit ) gubernabatur, Fatales in crucis formam claves ei obtigerunt. Clavis quip-

quippe, aut seræ non adæquata, aut non sensim versata, facile denticulos rumpit, vel rotulas destruit. Ita Bosna Principum suorum ambitione, violentaque regnandi cupidine, ad parricidia & Turcicas fraternitates illidens novelli Regni clavum facile fregit; & osori Crucis sanctæ captiva cruces innumeras suffert. Infausti quoque ominis Æthiopum capita in auguriis habentur. Ea verò, præter cognomen, gentem à Bessis originem ducere, multorum opinionibus suffragantur. Hæc Insignia veteres Croatiae Reges Bosnæ Banatui dederunt. Reges tamen ejus proprii non iis, sed gentilitiis, privilegia etiam authorabant; Quibus nec Ungariæ Reges utuntur: nam nec Bosnam regalibus titulis inserunt: sed pro ea & Chulmia Ramam sumunt, inter utramque mediam Regionem.

**BULGARIA**, fulvo coronatoque Leone in campo rubeo armatur. In quodam manuscripto reperi, Leonem rubrum super aureo campo: qui Macedoniae censetur. Apostolici Reges nigrum faciunt, intra Stellam & Lunam rubeas (quam alii Valachiae appingunt) in campo albo. Cui adscribere possemus;

*Qui Stellas cernis rubeas, nigrumque Leonem,  
Fatale hoc genti stemma fuisse, puta.*

*Bella cruenta tulit multos luctata per annos:  
Ex lucta victæ nil nisi luctus adest.*

Gens viribus quàm genio præstantior, vilibus etiam rapinis dedita, & quæ aliquando plurimum Regnorum opes & Orientalis Imperii Coronas everteret, Thraciæque Lunam penè attriverat; nunc Turcicam adorat supplex vasalla.

**CARINTHIA**, tribus nigris Leonibus, è dextro aureo, in lævo rubeo scuti latere Austriacam trabem intuentibus, Ducale stemma exprimit; postquam Austriæ unita: Leonibus

bus solis antea contenta. Hos in antiquo exemplari Canibus quàm Leonibus similiores inveni. Nam & olim Carinthiæ Dux, quum Imperii officia passim inter Principes & Civitates Imperiales distribuerentur, Imperii Venator fuit; ad quem lites & contentiones Venatorum omnium deferebantur.

CARNIOLIÆ Aquila cærulea coronata, rostro & pedibus aureis, Lunam albo rubeoque coloribus intermixtam, è pectore in expansas alas curvatam in campo albo gerit. Alii scutum aureum, pedesq; ac linguam aquilæ rubros faciunt.

CELTARUM, Illyrici olim accolarum, duo Dracones, sive pinnati Colubri, sese invicem patulis faucibus intuentes, signa fuere. Tradunt, Draconem fieri è serpente qui alterum devoravit. Draconibus tribuitur natura vigilans, & auri custodia, Hinc Martialis ad avarum;

- - - - - incubasq; auro,

*Ut magnus Draco.*

CRETA, bipartiti scuti rubeæ inferiori, Minotaurum, cum aurea clava, & Aquilam fulmina vibrantem superiori albæ scuti partibus impressit, fabularum inventrix curiosissima; feri illius monstri partu, Jovisq; nativitate, educatione, nuptiis & sepulchro sui nobilitatem adornans. Quæ uti vicinarum gentium mores & notabiliores fortunas, aut res gestas in meras fabulas transmutavit: ita populum Thesaliæ, qui primus Equos infedit, atq; ex iis bellare cæpit, Centauros finxit.

CROATIA, scutum habet in quatuordecim plagas, rubeas albis intermixtas, rectè partitum, Abaco, sive tabulæ lusoriæ formam repræsentans: in totidem partes dividendæ, potens olim factorum indicium. Matthias Pannoniæ Rex, tam in majori suo duplicique Sigillo, quàm lapideis monumentis (quorum nonnulla etiam in Croatia Mari-

tima extant) pro Regni hujus tessera, sola regia Corona usus fuit: sub qua cæteras illius partes, ex Banatus Zupaniatusq; officiis regium honorem consecutas, comprehendebat: uti Ramam, Bosnam, Serbliam, Rassiã, nec non Bulgariã. Idq; probabili conjectura, in honorem Ladislavi Sancti, eum fecisse, opinari licet; per quem Indigenam, de Goricza oriundum, Regnum illud Ungariçæ Coronæ accedere cœpit. Cujus familiarem alam & plumatam galeam, regiam ob dignitatem, in Coronam Ungari mutaverunt. Uti, aureis Successorum nummis, dicti Sancti Regis effigies, impressa, verificat. Tum quia & Ostoja Kristich, Bosnæ Rex, sola Corona Insigne sui regiminis exprimebat. Hujusq; Successorem & cognatum Thomam, ob amicitiam & fraternitatem cum Mahomette II, Matthias strangulari fecit: vectigalis Provinciæ regimen tutamenq; ipse habiturus. Et cum Bosna, respectu Albæ Rubeæq; Croatiæ in medio penè sita est: eorumdemq; Regum Coronam ad reintegrandæ Croatiæ (in tot Regna à sesqui sæculo discerptæ, Regibusq; jàm privata) typum servavit; Bosnæ titulo uti non dignatus. Nam & sicut communi Ungariæ, Dalmatiæ, Croatiæq; Regis titulo utebatur; ita, circa scutum Pannoniæ Insignium, hinc Ungariæ Crucem, & Dalmatiæ Leonina capita: illinc ipsam Coronam Croatiæ; & Lupum Cumania, cætararum Daciæ Scythiæq; sui Provinciarum emblemata figurabat: gentilitiis duobus stemmatibus infra positis.

**CHULMIA** (propriè Hlivnia) nudum brachium humanum, frameam inter stellam & lunam gerens, Principis Populiq; suorum, continuo Marte exercitorum tesseram rubeo scuto indidit. Brachium humanum nudum & armatum, Fidei roborisq; sinceri, Venus amoris bonæq; spei, sed Luna frequentium mutationum symbolo sunt.

**CUMANIA**, in scuti, duabus aureis trabibus obliquè

tripartiti, interno rubeo (reliquis cæruleis) campo Lupum album, currenti similem, Insigne genti obtinuit. Gens olim à Tattaris natali solo expulsa, receptorici suæ Ungariæ perniciem tulit, Belæ Regis exilio lugubriorem. Lupus intatiabilitatem figurat: qui unicam ovem prædaturus gregem totum invadit. Quod Ovidius declarat;

*Ad multas Lupa tendit oves, prædetur ut unam.*

DACIÆ veteris, duo Leones fulvi, albam acutam pyramidem in medio rubei campi erectam utrinque conscendentes, provinciale stemma referunt. Pyramis perfectionem excellentem, gloriæq; significat eminentiam, virtutum studio consecutam: quam adusq; Deceballi regnum Dacia tenuit. Post Romanorum, dein Sarmatarum, ultimò Turcarum potentiis oppressa, nomen & colonias mutavit.

DALMATIA, tribus Leonum capitibus in cæruleo scuto coronatis, bravium suæ nobilitatis, reliquit; Viris virium & ingenii valore potentibus clara: Illyrici, Liburniæq; olim pars. Quam Dionysius Afer, *Martiorum solum Virorum*, appellavit. Postea in tres Provincias, Ramam, Chulmiam & Hercegoviam partita, præ Leoninis capitibus Martialia tela sumpsit.

DARDANIA, Leonem rubeum coronatum, vetus militare pilum primis pedibus tenentem, scuto albo erexit. A scuto (quod vulgo *darda* est) nomen, Coronam à D. Justiniano, ad Imperium nato, promeruit. Ad illam Virgilii sensus referendus est; namq; *hinc Dardanus ortus*: à quo Phrygiæ Reges Dardanidæ.

EPIRUS, antiquis gentis suæ Insignibus Molossum rubeum (quo nomine magni canes appellantur) in albo clypeo præferebat: eo Canum genere sæcunda regio, Molossia quoque dicta fuit, ut ait Statius;

*gemit inter bella peremptum*

*Partibus equum, fidosq; canes flevere Molossi.*

Grandis generosiq; in Viro animi symbolum Moloffus est; qui taurum aprumve jacentem neglectim pertransire dicitur: non nisi cum stantibus & ad luctam paratis conflicturus; minorumq; Canum latratum contemnens præterit: congregari non nisi cum leonibus dignatus.

GRÆCIA, quatuor aurea flumina, à dextro in sinistram cærulei campi latus rectè deflua, priscæ sapientiæ imaginem observat: quæ totius eruditionis fons & mater, communisq; generis humani schola dicebatur. Libera quondam, sed dum imperium in socios affectat, serva diversis per vices nationibus facta; postremò in miserrimum à Turcis reducta mancipatum; ut hodiè (inquit Gerh. Mercator) nulla Barbaria æquè barbara est, atquè Græcia: litteras & sapientiam non tantùm non colit, sed ne intelligit quidèm. Tristissimæ humanarum rerum conditionis exemplum Orbi universo exposita.

HERCEGOVINA, olim Cudvergia, nudo brachio fractam lanceam gerente, rubrum clypeum (Orbino cælestinum) adornavit. Hoc præcipuum militaris apud Illyros gloriæ specimen fuit, quò quis plures in prætio lanceas fregerit.

JAPODIÆ veteripileus niger cum rubea ligula in scuto aureo emblema fuit: Phaëtonteo casui alludens: quem in ea regione accidisse antiquitas finxit. Sic enim in descriptione oræ Illyricæ ad Nicometem Bithiniæ Regem Schimnus Chius;

*Venetos sequuntur Thraces, Istri uti vocant, &c.  
Olimque contigisse nonnulli asserunt  
Incendium Phaëtontis hæc circa loca,  
Ideoq; turbas incolarum omnes adhuc  
Incedere atra veste, & habitu lugubri.*

Eadem Insignia nunc fert Marcha Slavonica, veteris Japodiae pars: quae nonnulli toti Slavoniae, intra Savum & Adriam, sitae tribuerunt. Pileus caeterum praesidii ornamentiq; symbolum est; ut qui supremam corporis humani partem a radiis solaribus, aereisq; tempestatibus munit, & pro dignitate inter homines condecorat. Inde Romani cum servum manumittebant, eum pileo donabant.

ISTRIA Scuto caelestino campoq; viridi Capram assumpsit, stemma Principis ultimò deficientis. Quidam Histricem ei appropriant in purpureo campo; unde probabiliter & Histria est appellata. Capra in symbolis, pacifici, benigni, mansueti animi idea est: lacte quam lana nobilior; Insignia tamen parum nobiles; minùs verò Histrix; nam

- - - os longius illi

*Affimilat porcum.* inquit Claudianus.

LIBURNIAE, aurea coronataq; in caeruleo campo Aquila data est. Potens olim terra mariq; regio, omnibus Adriatici sinûs Insulis dominata, ab Illyride ad Alpes usq; Italiae per continentem protensa, hinc Virgilius;

*Antenor potuit mediis elapsus Achi-vis*

*Illyricos penetrare sinus, atque intima tutus*

*Regna Liburnorum.*

Deinde in Croatiae nomen transit: & haec denuò in plurium regiminum nominumq; mutationes concessit. In qua parte ad ultimùm Liburniae nomen servavit, auro in visceribus terrae dives, Homines ardua quaeque superare conantes, ingentesq; Aquilas parit.

LODOMERIAE (quo nomine in Russia sui Regnum Ungariae Archireges eferunt) duo flumina sive tractus rubro alboq; colore ad Croatiae formam cancellati, caeruleum scutum trifariam dividentes, clypeum nobiles; Ubertatem terrae per sanguinem acquisitae depromentia.



**MACEDONIA** rubeo Leone aureum campum insigni-  
vit; quem nonnulli Græciæ stemma fuisse opinantur. Qui-  
dam rubeum Epiri Molossum ante Alexandri M. tempora,  
post clavam Herculis inter Buphali Taurive cornua erectam  
addidit. Nemanidæ Reges rubeo usi sunt, pro Macedoniæ  
Insignibus, qui eorum proprietatem in procerum suorum  
& provinciarum scutis diligenter observabant.

**MOESIA** (quæ nunc Bulgaria) binas Coronas, sed infe-  
riorem inversam in cœruleo campo gestavit. Hinc Leo co-  
ronatus haud malè tribuitur Bulgariæ. Inversa Corona rui-  
nam Regni præfagebat. Terra pane dives, hunc Græcis  
Trojam opugnantibus (Darete Phrygio teste) submittebat:  
eo nunc Turcos alit vasalla tellus.



Antiquiora Mœsiæ Insignia hujusmodi for-  
mæ rotam repræsentant. Rota in symbo-  
lis cum Fortunæ rerumq; humanarum vo-  
lubilitatem, tum in his virilis animi con-  
stantiam denotat. Rota quippè, tametsi  
quoad peripheriam circumvolvitur, firma  
tamen polo suo inhæret. Illis hoc subdi-  
mus tetraſtichon;

*Diverſas experta vices, mutataq; Regna  
Et mores cernis, Mœſia mœſta, novos,  
Fortunæ perpende rotam: quæ, ſumma premendo,  
Ima levat: conſtans in levitate ſua.*

**MOLDAVIA**, caput Buphali ſylveſtris, ex Alpibus Mol-  
dava patrio flumine delatum, aureo campo inferuit. Alii ſu-  
pra cornua ſtellam & Lunam addunt. Exteri quidam caput  
hoc album in rubeo campo depingunt, cum circulo è na-  
ribus, alii ex ore pendente.

**MORAVIÆ**, cæruleum Campum Aquila, rubeis al-  
bisq;

bisq; cancellis densè variegata decoravit ; quæ per varias Principum mutationes & sui competentiam ad Lacteam Austriæ Viam confedit , Alaudis & laudibus amica.

MOSCOVIA , sive Russia Alba , bicipitem Aquilam auream in campo rubeo, imperialem, plurium Regnorum & Provinciarum Insignibus præfert. In Aquilæ pectore *Czar* , sive Cæsar aut Imperator triplici Corona tectus, alto paludamento amictus, eques, Draconem lancea humi prostermit. Absoluto in subditos imperio Magni Regionis Principes utuntur, accurataq; in hostes vigilantia, quò securius tot gentibus imperent, & ab ijs hostium machinationes avertant. Quidam Russiae Albæ in campo nigro depinxerunt, portam albam valvis apertam; qua ex ratione, non video; nam & intercuncta illius Imperii ditionum stemmata scutum, porta signatum, non reperio.

PANNONIA quatuor albis fluminibus, Savo, Dravo, Danubioq; ac Tissa, rubeum campum dividit. In Matthiæ I. Regis majori Sigillo, aureo colore signata videntur. Nec immeritò fortasse, cum eadem flumina aureis arenis ditissima pingue solum præterlabuntur. Nisi regii Sigilli Sculptor, artis Heraldicæ ignarus, trabes punctatas pro fluminibus argenteis (tam crassum errorem in Aula tanti Regis nemine advertente) licentiùs inciderit. Flumina in Symbolis soli ubertatem divitiarumq; abundantiam significant.

POLONIÆ, rubeum scutum alba coronata exornat Aquila: tum à Leho & Krakovitiis, migrationis illius ex Illyrico fociis in novam Sarmatiæ coloniam, Poljanam, & latinizato vocabulo Poloniam nuncupatam: cum ex felici reperti nidi augurio, in gentis totius emblemata feliciter auspicata est. Natio Polonica ingeniis claret celebribus, & visendis Mundi regionibus, præ ceteris nationibus deditur.

**RAGUSA**, tres fluvios rectos albos in campum rubeum assumfit; Quot videlicet è sui territorio in Adrium pelagus effundit. Fluvius cum bonorum affluentia, tum justitiae iuriumq; suorum conservationis Symbolum est; qui licet alveo contortus è proprio tramite nunquam deflectit. Ea unica sub hanc tempestatem Respublica in Ora Maris Adriaci post Venetam, sui juris permansit: quod menstruali novi Principis electione, factum tectum conservare studet.

**RAMA** (quo nomine Reges Ungariae Bosnam, Hlivi- amq; & Hercegovinam sub Regni titulo comprehendunt) cataphracta indutum brachium, curvo gladio armatum, genti suae Insigne campo rubeo impressit. Quae perpetuis Bellonae tempestatibus fato quodam destinata censi potest: dum ex ipso sui nomine *Rama*, arma programmaticè nascuntur.

**RASSIA** tribus soleis equinis argenteis, caeruleo scuto appositis, exornatur. Equis velocibus, ferro bono & fabrorum copia frequens regio, Turcis mancipata.

**ROMANIA**, ab Imperiali Constantini urbe, Nova Roma praedicta, sumpto clypeo gaudet. Cujus quadrifariam partiti, dexter superior & sinister inferior quadrans in se divisus, superiori caeruleae parti duas Coronas aureas indidit: inferiore alba duabus trabibus rubeis, erectè positis, distincta. Superior sinister & inferior dexter item rubeus, duobus brachiis humanis viridi manica ab humero ad cubitum laxè amictis, Coronam elevantibus, pristinum Romanae Majestatis & Graecae Superbiae typum repraesentant.

**RUSSIA** Nigra fulvum Leonem arduas rupes conscendentem in caeruleo (aliis rubro) campo armis praesignavit. Quo fortem animum, nec duris nec arduis absterreri, quin eorum exercitio vires corporis fortescere, docet.

**SCYTHIA**, Ursinis capitibus, in campo albo denotatur. His feris vastae Schytarum solitudines, gelidoq; Septenerioni

subjecta regio abundat. Urfos turbido & obscuro cœlo mirificè lætari ajunt; quod non tantum ob spem futuræ serenitatis, quantum ob liberioris & alvearia evagationem: qua tempestate in illis apes & in ædibus homines continentur.

**SERBLIA**, quæ Syrbliæ, sive Srbliæ dici propriè deberet, Servia communiter appellata, Cruce alba rubeum clypeum amplissimè designavit, quatuor calybibus ex tot angulis ei obversis. Cui post Nemanidum fata Vukassinus Rex Aquilam imposuit. Ea Crux Constantinianæ memoria est: atq; alii eadem Insignia Constantinopoli tribuunt: mutatis aut non ritè observatis coloribus; proque calybibus B Græcam litteram ponunt. Ungariæ Reges antiquioribus Triballorum insignibus, pro Serbliæ Rassiæq; Regno, in Bullis utuntur. Illorum olim hic sedes fuerunt; Romaniq; Orientis Imperatores, Serbliæ Principes, Triballorum Reges nuncupabant. Fatô Symbolum hoc Serblis obvenit; qui sæpè diuq; ferro & igne pro Chæstianis aris & Patriæ focus oppugnati, in tristem servitutem concessere.

**SILESIA** Symboli loco Aquilam nigram, cui alba Luna à pectore per alas curvatur, albo campo præfert. Albam in Lunæ medio Cruculam recentius posuerunt. Regio insignes Astronomos Orbi dedit; inrer quos Maria Cunitia nomen insigne meruit.

**SIRMIO**, ultimorum Ducum Vilakianorum stemma restitui; Cervum videlicet sub cypresso inque prato viridibus, inter flumina cubantem; cujus collum rubeus millus ambit, in cœruleo scuto, albis fluminibus. Antiquiora Sirmiensis Provinciæ reperiuntur Insignia, duo S, in bipartiti scuti albo dextero latere rubeum, & rubeo sinistro album. Quibus & Episcopum quendam magnæ illius Diæceseos fuisse usum reperi. Flumina Danubium, Savum & Bacuntium indicant. Primis duobus complexa tertio in magnum girum percurritur

ritur. Vasta nemora eò tutiora Cervi latibula prostant, quò pauciores incolas Bella continua uberi solo effecerunt. Cervus autem in Symbolis idea est benignis, qui virtutibus semel affuefactus, perpetuo eorum denotatio agitur. Illud enim animal serpentibus pasci solitum aquas maximè anhelat: diuturnitate vitæ cœtera animantia longè transcendens. Sicuti & Cedrus in Nobilitate antiquitus fuit æstimatissima: cujus materiei æternitas inest: itaq; & simulacra Deorum ex ea veteres factitabant.

**SLAVONES**, per tot nationes amplè diffusi, Danubii accolæ, tres rubeos Canes venaticos, aureis millis colla cinctos, album campum decurrentes, Stemma tulere. Generosus fidelisq; hominis animus Cane significatur. Vertagos Martialis vocat; qui sua sponte exeunt, domumq; prædam reportant. Quod cum Slavo nomine, gloriam significante, apprimè convenit.

**SLAVONES** *Maris Baltici* ( qui & Vandali ) aureum coronatum Draconem in campo rubro stemmatis loco præferunt. Quem alii rubrum in albo campo depingunt. Brandenburgici Marchiones pro Valdalorum Ducatu Gryphum, rubro viridique colore perfusum in albo, Mecklenburgenses Duces aureum in cœruleo campis gerunt.

**SLAVONIA** *moderna*, Interamnia Croatiae pars, cùm antiquitus pro Armorum decore Martem animal habuerit, à Vladislavo Rege duobus fluminibus, scutum trifariam fecantibus, Martisq; sydere, ulteriùs donata est. Media scuti pars, in qua Martes conspicitur, est rubea: extremæ duæ cœruleæ; in quarum suprema sydus micat. Flumina Savum & Dravum, quibus terminatur: Martes & Mars, per continuum belli studium, insignis gloriae bravium meritam, denotant. Vetus Regni hujus moneta ex vna facie nummi ostendit idem

animal Martem inter binas Rosas: ex altera Regem & Reginam coronatos, Crucem duplicem intuentes, à pectore effigiatos: ac supra Crucem Lunam & stellam. Hæc ipsa Crux à Successoribus Divi Ladislavi in Ungarici Regni tessarâ conversa est; per quem & Regni Coronæ unita Regio, & deinde Regnicolæ Regibus illis censu Mardurinarum tenebantur.

STIRIÀ, Pantheram albam, ore, auribus & tergo flammam evomentem in campo viridi gentis suæ insignibus præfert. Flammæ pro halitu interpretandæ sunt. Panthera enim odorem adeò suavem exhalat, ut eo illecta cætera animantia ingenti numero sequacia trahat. Schænleben Taurum antea Stiriaë fuisse ait; ob quem Taurisciam olim nominatam vellet. Inter victimas prisorum Taurus frequens legitur; nec solum in gentilibus sacrificijs, uti Neptuno, Apollini & Marti: sed & Divino jussu, Gedeon taurum immolare debuit: Iobiq; Amici septem tauros, Deo sacrificatos, immolabant. Eam Tauro esse naturam ajunt, quod à molossis acrius incurfatus, fumum naribus, flammamq; oculis spargat cornibusq; depressis, imperterritus illis opponitur. Erectis autem pedibus, noxam haud ullam intendit.

THESSALIA, in superiori aurea divisi scuti parte Aquilam pedibus & alis expansis, ac in rubra inferiori tres sagittas pro Regionis stemmate gerit; Has ob Chironis aliorumq; Centaurorum in ea natorum à Græcis inventam fabulam, & illam in memoriam Civilis Romanorum cladis. Cæterum in antiquis numismatibus in aliis Aquilam stantem, elevatis modicè pennis capite retrospectentem, & in aliis Equum nudum, exhibet. Græcorum fictione quidam Centaurum Thessaliaë dant. Finxerunt enim illi, Centauros ex nube quam Ixion pro Junone compressit, natos fuisse: inque Pelio monte à Nymphis educatos: & ab ijs cum equabus conjunctis prodiisse Hippocentauros. Eam fabulam refutat Lucretius.

*Sed neque Centauri fuerant, nec tempore in ullo  
Esse queunt; duplici natura, & corpore bino:  
Ex alienigenis membris compacta potestas.  
Hinc illinc parvis, ut non par esse potis sit.*

Ex hac autem causa equinam & humanam formam Thessalia populis, Pelii montis accolis, tribuit antiquitas, quod primi equitare, primi ex equis pugnare invenerint: homines aliàs feri, agrestes, at militares; de quibus Seneca.

*An viros tellus dare militares*

*Aptior Phie?*

Thessalonicae alias Urbi, Regionis totius Principi, hujuscemodi sunt Insignia. Quibus in Concilio Constantiensi Ecclesiae illius Archiepiscopus fuisse usus reperitur.



THRACIA, quae Odryfia quondam, in viridi Campo Lunam albam ferebat. Quidam hæc Insignia Turciae adscribunt, postquam Regionem occupavit.

THRACES verò, subjecti Rom. Imperio, in cœruleo clypeo luteum Leonem, elevato pede sinistro, & cauda erecta, Principis hostes ferituri argumentum habebant. Luteum item globum in dorso gerebat Leo: quemadmodum Princeps Romanus Orbem suis viribus sustentaret.

TRANSYLVANIA, bipartiti scuti superiori medietati aureæ nigram Aquilam, expansis alis eminentem: rubea inferiori septem Castella sive castra, & hinc Solem, inde Lunam scuto principali adlegit. Aquila Provincialium, sive (ut vocant) Comitatus; septem Castra à totidem Ungaris Ducibus condita, Saxonum: & Lumivaria Sicularum Status referunt. Austriae Insignia novò adlegit.

TRIBALLIA, Caput Apri gessit in albo campo; Sagittam alii fronti, & alii ori infigunt. Nonnulli absq; Sagitta

caput, ore patente sursumque converso, indistinctis clypei coloribus formant.

**TURCIA**, nullo uti solita emblemate, nomen officiumque Principis litteris expressum veneratur. Quidam Odrysiarum Luna Turciam insigniunt. Munsterus ei Constantini Crucem cum calyribus Serblicis addidit. At quum in vexillis communiter etiam bipennem gladium, dextra prehensum inter stellam & Lunam elevatū ostendet: eundem illi pro Symbolo ritè apponendum existimabam: atque in campo rubeo, qui majesticus & manum viridi amictam, qui sacer color apud Turcos habetur. Gladio huic superstitionem originem adscribunt Osmanidæ; quòd S. Elias Propheta 40. Christianorum millia vno in conflictu ceciderit. Alii frameam duplicatam ponunt, & penès solam manum albam cum Luna stellaque à lateribus. Stella & Luna Illyrici sunt insignia, & Luna sola Thraciæ Odrysiarum, quippè hanc totam; & illius maximam partem Turci possident. Sed & fatale ipsis Luna stemma est. Fessus namque olim Ertucules Solejmani Sachi filius cum interdiu obdormivisset, vidit per somnium, Lunæ splendorem è sinu Edebalis (viri apud Conienses ob doctrinam estimatissimi) in sui sinum penetrare, moxque ex umbilico suo enatam arborem, quæ regiones aliquot, præaltosque montes ac latos campos tegetet. Quod somnium interpretatus Edebalis, dixisse fertur; Nasciturum Eruculi filium nomine Osman, qui bella plurima geret, posterique dein ejus Reges terrarumque Principes futuros: Edebalique filiam Osmani nupturam, liberos ex ea procreaturo, ad regiam dignitatem perventuros, multisque populis cum imperio præfuturos.

**VALACHIA** Transalpina Corvum habet nigrum in albo campo super corona stantem, & Crucem in rostro gerentem. Moderni Regionis Principes pineæ arbori eundem Corvum